Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1885

Quelle:
Copyright:

de Disciplina in *Cod. fol.* 190. p. 2. infarctus est Locus *Hugonis de S. Victore*, utique *Beda* longe posterioris. Ad calcem jacet: *Et sic est finis huius per dei misericordiam. Stanislaus.* An *de Znoyma? Fol.* 217. p. 2. *Quaestio de Conceptione sancte Marie virginis* adlatis primum in contrarium argumentis deciditur in favorem Virginis. *Fol.* 222. *Tractatus super orationem dominicam*, cujus initium: *Reprobata ypocritarum ostentatione* &c. adjuncto altero *beati*, ut dicitur, *Chrisostomi* hoc transitu: *Nunc breuiter uideamus qualiter Chrisostomus exponat hanc orationem* &c. et tertio, qui incipit absque inscriptione: *Pater noster. In hoc verbo dat Dominus fiduciam impetrandi* &c. *Fol.* 231. *Incipit liber beati Augustini de essencia diuinitatis atque incommutabilitate dei.* Ita quidem: *Omnipotens Deus pater et filius* &c. Editus primum *Günth. Zainer* typis *Augustan.* circa an. 1470 — 75. cum multis aliis Opusculis, sub *Hieronymi* nomine f. sed in *Codd.* etiam diversis aliis sub variis titulis tributus legitur Opp. *August. Paris.* T. VIII. *append. col.* 67. *Fol.* 235. Collectanea de Corpore Christi, Festivitatibus, Mulieribus post Partum et menstruatis, Voto, Confessione, Jeiunio et Juramento plurimum e PP. *Fol.* 244. praemisso *Cantici Cantic.* textu *Incipit speculum bonorij* (Augustodun.) super illud *ad laudem Marie virginis. Speculum* hoc titulo *Sigilli B. V. Mariae* extat in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1217. Deest vero, quae ibi habetur, Praefatio in *Codice*, qui statim infit: *Gloriosa virgo maria typum ecclesie gerens* &c. et finit: *alta meritis odorifera premijs.* Itaque nec Supplicationem illam: *Nunc pauca ad honorem virginis sunt superaddenda* &c. adgnoscit. *Fol.* 253. *Incipit planctus beati Augustini de passione Domini.* Ita: Quis dabit capiti meo aquam — *donec suo seruo mihi Dominus Deus appareat uisu uel sompno* &c. Exorat hic *Pseudoaugustinus* Matrem Christi, ut referret, quae in morte Filii sui passa fuerit. *Fol.* 257. Concordantiae II. Prior totius Historiae Evangelicae indicatis solummodo Evangelistarum locis, Altera diserta *Passionis in die*, ut inscribitur, *Parasceues*, vel potius Sermo, quemadmodum reliqua in *Cod.* contenta, ut sub principium monui.

DCCLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U 205.
Folior. 256. 4. bene scriptus et rubricis distinctus hunc praefert titulum: *Incipit Postilla discipuli super Ewangelia dominicalia secundum sensum literalem. In prima dominica aduentus.* Praemisso toto ejus diei Evangelio incipit: *Ante inicium hodierni ewangelij habetur Joh. 12. Quod ante sex dies pasche* &c. Exacto anni circulo finis fit *in Festo Dedicationis.*

II. *fol.* 129. *Incipit Postilla de sanctis secundum sensum literalem.* Et quidem a Festo S. *Andreae* ita: